

ratum Benignum desiderium Nostrum suum ad effectum omni possibili cura et industria promoturae, hacque ratione tam de nobis, quam et causa publica ultronee quoque bene mereri sint eniturae. Quibus de reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo Regia Benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae die 6. Mensis Martii Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo primo.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Pallfy m. p.

Franciscus Skerlecz m. p.

Intitulationis tenor talis est:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus etc. Fidelibus nobis dilectis. Varasini.

(Locus Sigilli Regii)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1762. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

Articulus Generalis, A. 1762. 7. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasini, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitum, Domini Francisci de Nadasd perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consilarii Actualis Intimi, Camerarii, Generalis Campi Mareschali, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitum, nec non Tabulae Legalis Praesidis, pro 7. et sequentibus Mensis Januarii Anno 1762, Varasini, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Quintus.

De elaboranda Dicae et Impositionis Regni repartitione.

Pro Anno recens praeterlapso 1761 Dicae et Impositionis Regni repartitione necdum peracta, ad elaborandam eandem ordinatur deputatio sequens: